FER. III POST DOM. QUINQUAG.

MISSA DE SANTISSIMÆ FACIES D. N. J. C.

Introitus Philip. 2, 8—9

HUMILÁVIT semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen (T.P. Alleluia, Alleluia). Ps. 88.2. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem et generatiónem. V. Glória Patri.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, cujus sacratíssimus Vultus, in passióne abscónditus, sicut sol in sua virtúte relúcet: concéde propítious; ut tuis passiónibus communicántes in terris, in revelatióne gloriæ tuae gaudére valeámus in caelis. Qui vivis et regnas.

Léctio Zacharí Prophétæ.
Zach 12, 10—11; 13, 6—7

HAEC dicit Dóminus: Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum: et aspícient ad me, quem confixérunt: et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, et dicétur: Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea, suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: percúte pastórem, et dispergéntur oves: ait Dóminus omnípotens.

Graduale IMPROPÉRIUM expectávit cor meum, et misériam: et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit: consolántem me quæsívi, et no invéni. V. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

ALLELÚIA allelúia. V. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúia.

Post Septuagesima, omissis Alleluia, et Versu sequenti, dicitur.

Tractus Isai. 53, 4—5 VERE languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. V. Et nos putávimus eum quasi leprósum, et pecússum a Deo, et humiliátum. V. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra. V. Disciplína pacis nostrae super eum: et livóre ejus sanáti sumus.

Tempora autem Paschali omititur Graduale, et ejus loc dicitur:

ALLELÚIA, Allelúia. V. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es adcrucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúia. V. Tibi glória,

hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 19, 28—35

IN illo témpore: Sciens Jesus, quia omnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judæi ergo (quóniam Parascéve erat), un non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies illi sabbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus.

Offertorium INSURREXÉRUNT in me viri iníqui: absque misercórdia quæsiérunt me interfícere: et non pepercérunt in Faciem meam spúere: lánceis suis vulneravérunt me. et concússa sunt ómnia ossa mea (T.P. Alleluia).

Secreta

PROTÉCTOR noster, áspice, Deus, et réspice in Fáciem Christi tui, qui tibi semetípsum pro nobis hóstiam óbtulit: et praesta; ut eámdem immaculátam hóstiam offeréntes, ipsi quoque in holocáustum tibe accéptum transeámus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce

Communio Ps. 21, 17—18

FODÉRUNT manus meas, et pedes meos: dinumeravérunt omnia ossa mea (T.P. Alleluia).

Postcommunion

FÁCIAM tuam, quaesumus, Dómine, super nos benígnus illúmina: ut tuas justificatións édocti, per haec sacrosáncta mystéria blandiéntem mundum elúdere et persequéntem superáre possímus. Qui vivis et regnas.

S.C.R. *Decreta,* vol. 1910, p. 189*a*